



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Negativa statuitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

sed ex eventu omnia disceret, cæco modo & ignorantiam voluntatem DEI dirigeret. Alia argumenta ab autoritate vel libertate petita in sequentibus occurrunt. Nunc utrum hæc scientia sit S. Scr. SS. PP. D. Th. & rationi conformis videamus.

ARTICULUS II.

An scientia media sit conformis S. scripturae?

SUMMARI A.

1. *Negativa probatur à multiplici doctrina S. Script.*
2. *Et ex scientia futurorum contingentium sub conditione disparata.*
3. *Conditionales propositiones non patiuntur se explicari per concomitantiam.*
4. *Achilles Adversariorum de Corozaitis.*
5. *Refellitur.*
6. *Ad mentem Apostoli & D. Augustini.*
7. *Exponitur locus e libro sapientia.*

§. I.

Negativa Statuitur.

- I. **CONCLUSIO.** *Scientia media non bene coheret cum Sacra scriptura.*

Probatur primò. S. Scriptura affirmat absolutissimum DEI in nostras liberas voluntates & actiones dominium; supremam in efficiendo & prædefinendo, quicquid vult independentiam & libertatem; universalem ejus in omnia providentiam; prædestinationem certam non tantum certitudine scientiæ, sed etiam causalitatis; intrinsicam gratiæ virtutem & efficaciam: sed hæc omnia per principia scientiæ mediæ imminuuntur: ergo scientia media non est conformis doctrinæ S. script. Majorem æquè ac minorem partem ostendimus; partim in decursu & ubi de decretis efficacibus agemus, videbimus.

2. Probatur secundò. Juxta principia scientiæ mediæ non esset medium certò cognoscendi futura contingentia sub conditione disparata: sed hoc repugnat S. script. in qua habemus DEUM futura sub conditione disparata enuntiasse, adeoque certò cognovisse. veluti 4. Reg. 13. *si terram percussisses quinquies aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Sequela probatur: ut hæc futura contingentia certò cognoscerentur, deberet certò cognosci illorum connexio cum conditione disparata: atqui hæc certò cognosci nequit, nisi ex determinatione divinæ voluntatis, cui tamen scientia media secundum Adversarios præsupponitur: ergo etiam juxta principia scientiæ mediæ hæc futura certò cognosci non possunt. Minor prob. hæc conditio eo ipso, quòd sit disparata, ex se nullam habet connexionem cum futuro: ergo illam tantum debet accipere à causa extrinseca, nempe DEO: sed DEUS non nisi per liberam suam determinationem est causa ad extra, ergo.

3. Respondebis cum Amico per particulam si posse denotari solam concomitantiam, non autem illativam connexionem: & hanc cognosci à DEO. Verum hæc responsio efficaciter refutatur tum ab illustrissimo Reding l. cit. n. 8. tum à Godoyo citato n. 61. Nam primò, quòd duo simul existant,

non sequitur, quòd unum existat dependenter ab alio, ut si dicam: Petrus & Paulus current, non sequitur, quòd Paulus currat sub conditione Petri currentis; atqui conditionalis propositio importat dependentiam futuri à conditione. Secundò, sensus copulativus facit sensum absolutum, unde si hæc propositio, si Joas quinquies terram percussisset, percuciet Syriam usque ad consummationem, tantum significaret concomitantiam, tunc foret iste sensus copulativus & absolutus: Joas quinquies percuciet terram, & percuciet Syriam, &c. in quo sensu constat propositionem esse falsam, cum neutrum eventurum fuerit, ergo neque sub hoc sensu futura sub conditione disparata essent certò cognoscibilia.

§. II.

Respondetur ad objectiones.

Obijciunt illud Matth. 11. *Ve tibi Corozaim, & ve tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.* Videt ergo DEUS futuram conversionem Tyriorum sub conditione, si hæc signa apud illos faceret, quæ fecit apud Corozaitas: atqui non vidit hanc futuram penitentiam conditionatam in decreto prædestinativo: aliàs inanis fuisset exprobratio & reprehensio Judæorum, siquidem prona fuisset ipsorum responsio: si nos Tyriis pares fecissemus in præordinando & prædestinando ad penitentiam, etiam nos fuissetis acturi penitentiam: cur igitur nos non similiter præordinasti, ac prædestinasti? ergo videt DEUS futura conditionata in ipsa objectiva veritate futurorum per scientiam mediæ.

Ad hunc Achillem defensorum scientiæ mediæ paucis respondeo negando subsumptum, ejusque probationem. Juxta enim fuit reprehensio Judæorum, eò quòd in auxiliis sufficientibus, vi quorum potuissent converti & agere penitentiam, pares fuerint cum Sydoniis, & cum potuissent penitere, propriæ voluntatis malitiâ penitere noluerunt.

Nec refert, quòd Judæi & Sidonii fuerint im-pares in decreto præordinante & prædefiniente: hanc ipsam quippe inæqualitatem, quam modò obijciunt Adversarii, jam Apostolus sibi objecerat Rom. 9. cum enim dixisset: *Cujus vult, DEUS miseretur, & quem vult, indurat,* statim subiungens sibi obijcit: *dicos itaque tibi, quid adhuc quaritur? (hoc est interprete Corn. à Lap. cur DEUS adhuc conqueritur, & succenset impiis, cum ipse non dederit illam efficacem misericordiam, cujus voluntati nemo resistit) & nequam recurrit ad refugium scientiæ mediæ, sed ad*